

1539 *aut conjungere classes necesse erit, quorum illud miserrimum est; hoc vero, ut Foscarus quoque fatetur, concordiae adversum. At saltem ex hac Auriæ conjunctione egregia nobis occasio daretur, qua præterita damna corrigere, & præceptum nuper navalis disciplinae decus præclaro aliquo facinore recuperare possemus. Sed quid ab homine nostris rebus infesto, cujus fidem jam sæpius experti sumus, qui præclaram nobis obtundendi hostis opportunitatem invidit, expectandum est? His incommodis vos occurrere posse arbitror, si extra Adriaticum sinum classem commorari jusseritis. At inquiunt, verendum esse, ne hostis propinquus acie dimicare velit. Sed quis sibi persuadeat, Chariadenum, maritimarum rerum scientissimum, Neocastrum oppugnantem, divisis viribus, partem in Rhizonico sinu detenturum, partem ad nostros insequendos missurum? Ut scilicet ad consociandas cum Auriæ vires impellat; atque impar ad certamen ineundum cogatur? Cum e contra integra committendi prælii facultas penes vestrum imperatorem erit, qui tutos receptus ad Zacynthum, Cephalleniam, atque in Cretam habebit; inde usque in Cyprum libero tractu maris emenso, navigandi facultas erit, prædas agere, navigia interceptare, comæatus comparare, hostes variis detrimentis afficere. Id vero si initio belli factum esset, non tam propius in ditiones nostras hostis se intulisset; non Aegæi insule direptionibus, cædibus vastata; non ingens incolarum numerus in servitutem abreptus; non Peloponnesi urbes petita, atque oppugnata forent. Sed adjiciunt, infausto consilio, ut classis Corcyrae detineretur, superioribus annis decretum esse: ut intra sinum se reciperet, optima ratione prospero eventu paucis ante annis jussum fuisse. Sed non satis animadvertunt, aliis temporibus aliis consiliis opus esse: adeo enim vicissitudini, ac varietati humanæ res subjiciuntur, ut quæ nonnunquam prospero, ac felici eventu salutem, eadem, mutata rerum conditione, improspere exitu perniciem, atque exitium attulerint. Tunc amicus Suleimanus nobis erat; hostem modo experimur: cunctæ ditiones vestrae pacatae erant; nunc ubique armorum tumultus sævit: ut causæ belli præciderentur, tum cavendum erat; nunc urbes, ac provinciae in vos conversæ vestrum auxilium, atque opem implorant. Quocirca eo tempore classem in Adriatico sinu continere debebat,*